



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XII. Vtr. remissio mortalis peccati sit effect[us] formalis, & con[n]atur
alis iustitiæ inhære[n]tis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

sine speciali corruptione, & suspensione diuinæ conseruationis. Sic ergo in presenti vt iustitia sit perfecta, satis est quod natura sua expellat malum contrarium, quamuis hoc non fiat sine aliquali mutatione quasi conueniente, concurrente etiam Deo suo modo, remittendo, & condonando culpam, vt in sequentibus explicabimus. Denique ad vltimam confirmationem de duplici applicatione meritorum Christi respondetur in primis, sicut est vna integra iustificatio, ita esse vnam integram, & adequatam applicationem meritorum Christi, non quia sit ad vnum indiuisibilem effectum, sed quia est ad vnam perfectam spirituales transmutationem. Vnde licet Concilium dicat, applicari nobis merita Christi, cum infunditur charitas, non tamen dicit tunc solum, vel ad illum solum effectum applicari. Nam etiam applicantur, vt nobis dentur inspirationes, auxilia, & fides, quæ iustificationem præcedunt, & sit etiam ad infusionem aliarum virtutum, & donorum, & simili modo fit ad remissionem peccati quoad culpam, vel etiam quoad penam. Quocirca sicut in vna integra iustificatione sunt plures effectus gratiæ, qui sunt veluti partes eius, ita concedi possit, pluries applicari meritum Christi quasi partialiter, applicantur enim in primis, vt infundatur fides, & deinde, vt detur spes, & iterum, vt infundatur gratia, & charitas coniunctim, & simul cum ipsis, vt remittatur peccatum, totum tamen fit per modum vnius adequati effectus. Vnde etiam dici potest, in iustificatione peccatoris applicari satisfactionem, & meritum Christi, satisfactionem, vt remittatur peccatum, meritum, vt gratia infundatur. Et hoc modo duplex applicatio sine villo inconuenienti admitti potest.

CAPVT XII.

Vtrum remissio mortalis peccati sit effectus formalis, & connaturalis iustitiæ inherens.

Diximus ad veram remissionem peccati necessarium esse, vt homo vere, & integrè iustificetur, & ideo talem remissionem coniunctam esse cum infusione iustitiæ, vnde consequenter sequitur explicandum qualis sit ista coniunctio, & an ex sola Dei voluntate, & institutione, vel etiam ex naturali connectione inter illa duo, fundata in formali causalitate gratiæ oriatur? Multorum enim opinio esse videtur, remissionem peccati solum ex lege Dei esse coniunctam cum gratiæ infusione, ac proinde gratiam non expellere formaliter peccatum ex ipsa rei natura, sed ad summum ex institutione Dei, qui decreuit nulli permanenti in statu peccati illam formam infundere, seu ad præsentiam talis formæ semper expellere peccatum. Huius sententiæ necessarium esse debet Scotus, Gabr. & alij nominales, qui dicunt, iustitiam infusam non esse ex natura sua formam sanctificantem, seu constitutivam hominem gratum Deo, nam si hoc ita est, non habet, vnde ex natura sua peccatum expellat. Item qui negant, peccatum formaliter excludere gratiam, consequenter etiam negant, gratiam expellere peccatum formaliter, vt viderelicet in Sot. in 4. d. 1. q. 6. §. Contra, & seq. & d. 16. q. 2. §. Ad argumenta Gab. d. 14. q. 1. art. 2. in dubio post 5. concl. Ocham. in 4. q. 3. Medina Cod. de Poenit. qu. 12. Citatur etiam Richard. in 3. d. 31. art. 1. q. 1. vbi de charitate loquitur, dicitque non expelli per peccatum formaliter, vel effectiue ex sola rei natura, quæ est res longe diuersa, & non habens connexionem cum ea, quam nunc tractamus, vt infra in lib. 11. dicturi sumus.

Potest hæc opinio suaderi primo ex auctoritate saltem negatiua Concilij Tridentini. nam in sess. 6. c. 7. solum dicit, in iustificatione cum venia peccatorum dari etiam gratiam, & virtutes; hæc autem verba solum significant concomitantiam, non causalitatem.

Pars 3.

Imo si remissio peccati esset formalis effectus gratiæ, videri posset superfluum dicere cum venia peccati dari gratiam: nam clarum est, data forma, dari effectum formalem eius. Secundo argumentor ratione, quia gratia solum opponitur formaliter priuationi physica illius, non enim habet positivam formam contrariam; ergo per gratiam solum excluditur formaliter illa priuatio; at priuatio physica gratiæ non est peccatum, vt ostensum est, quia priuatio gratiæ est à Deo puniente peccatum; à Deo autem non est peccatum: ergo per formam gratiæ, saltem ex natura rei, non expellitur formaliter peccatum, vt peccatum est. Tertio argumentor, quia peccatum, quæ manet trans actio actui, non est aliquid physicum, sed morale, gratia autem est qualitas physica: ergo non sunt ita opposita, vt vnum formaliter excludat peccatum; nam ea, quæ sic repugnant, debent esse eiusdem ordinis: physicum autem, & morale diuersos ordines constituit. Quarto quia peccatum non expellit formaliter inherendo gratiam ex natura sua: ergo neque forma inherens gratiæ expellit formaliter peccatum ex natura sua, nam contrariorū eadē est ratio. Antecedens patet, quia physica carentia gratiæ non est de intrinseca ratione peccati: nam si sit fermo de peccato actuali, consistit ratio peccati in defectu debitiæ rectitudinis actualis: si vero sit fermo de habituali culpa, consistit in relatione quadam rationis, vel morali ad culpam præcedentem, & non retractatam, quod totum esse potest sine physica priuatione gratiæ. Et ideo posset Deus non priuare inherente iustitia hominem actu peccantem. Et eadem ratione posset dare gratiam inherentem peccatori, non remittendo illi peccatum ergo signum est remissionem peccati non esse effectum formalem iustitiæ inherens, alioqui esset ab illa inseparabilis.

Nihilominus dicendum est primo, remissionem peccati mortalis esse effectum formalem inherens gratiæ seu iustitiæ: ita vt simpliciter dicendum sit, per inherens iustitiæ, & ad introitū ei⁹ excludi peccatum, quia illa duo sunt quasi duæ formæ simul impossibiles in anima. Hanc assertionem censo certam hoc tempore. Eamque docet D. Th. 1. 2. q. 111. ar. 2. in corpore, & ad 1. ait enim gratiam, quatenus animam sanat, esse gratiam operantem, non effectiue, sed formaliter: dicitur autem gratia sanare animam, quatenus illam ab infirmitate peccati liberat. Et qu. 109. art. 7. docet maculam peccati excludi per decorem gratiæ formaliter. Et idem docet q. 113. fere per totam, vt in sequentibus late videbimus. Tenet etiam Richard. in 4. diff. 14. art. 7. q. 1. & latius d. 17. ar. 4. q. 4. Aureol. in 1. d. 17. q. 1. art. 2. & ibi Capreolus q. 1. art. 3. ad argum. Gregorij contra 1. & 2. conclus. Petrus Soto lectio. 11. de Poenit. circa finem. Alter Soto in 4. d. 15. q. 1. art. 2. & libr. 2. de Natur. & grat. cap. 18. Ruard. art. 8. §. Manifestum est, cum sequentibus, Valencia tom. 2. disput. 8. qu. 6. punct. 5. Bellarminus toto fere libr. 2. de iustificat. & Stapleton. lib. 5. & alij communiter hoc tempore scribentes contra hæreticos. Eamque docuit Catechismus Roman. in tract. de Baptismo. dicens, *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pena anathematis proposita decreuit, non solum per quam peccatorum sit remissio, sed diuina qualitas in anima inherens, ac velut splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet.* Quibus verbis satis formalem causalitatem expressit, & quoniam auctoritate initium probationis sumemus.

Primo ergo Concil. sess. 5. ca. 5. docet, per gratiam, quæ in baptismo nobis confertur, remitti reatum originis peccati, eademque ratio est de omni peccato, quod diuina gratia priuat, & mortem animæ affert. Loquitur autem Concilium de iustitia inherens. Trid. te, cum dicat, gratiam illam nobis per baptismum conferri, & particula, *Per*, causalitatem formalem significat, nam hæc est significatio eius maxime propria, &

K

iuxta

2. Fundamentum.

3. Fundamentum.

4. Fundamentum.

3. Prima Conclusio circa titulum questionis.

4. Conclusio 1.

iuxta subiectam materiā non potest aliud significare. Quia gratia per baptismum infusa non habet aliam causalitatem, quoad remissionem peccati, ut maxime videlicet in parvulis. Deinde sess. 6. c. 4. definit iustificationem, esse translationem ab statu iustitiæ ad statum filiorum Dei: ex quo intelligimus, formam, quæ acquiritur per illam mutationē, formaliter excludere statum iniustitiæ, seu peccati, quia in omni mutatione terminus ad quē formaliter excludit terminum à quo. Atque eodem modo idem probat testimonium Pauli ad Colos. 1. quo Cōcilium videtur. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit nos de regno tenebrarum, & transiit in regnum filij dilectionis sue: illa ergo forma, per quā homo fit dignus sorte Sanctorum, est, quæ transfert hominē à peccato ad Christū; ergo utrumque pertinet ad effectū formalem illius formæ. Præterea idem Conc. sess. 6. c. 7. dicit, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum hominem ex iniusto fieri iustum, & ex inimico amicum, & in hac transmutatione iustificationem cōstituit. Et paulo inferius addit formalem causam iustificationis, i. illius transmutationis esse iustitiam Dei, qua nos iustos facit; ergo aperte intellexit Conc. eandem iustitiā esse causam formalem ablationis peccati.

In qua doctrina virtute declaravit Conciliū Scripturæ testimonia, quibus eadem veritas cōfirmatur. Qualia sunt illa in quibus gratia, & peccatum comparantur ut lux, & tenebræ, ad Ephes. 5. *Gratia aliquando tenebræ, nunc autē lux in Domino.* Vnde est illud 2. Corinth. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas lucis ad tenebras?* Similis est comparatio, qua peccatum, & gratia conferuntur, sicut ægrotudo, & sanitas: nam sicut sanitas formaliter excludit ægrotudinē, ita gratiam peccatum. Quod argumentum indicavit August. de Spirit. & liter. c. 30. dicens. *Per gratiam sanatio animæ, ablatione peccati.* Et idem argumentum vrgit contra Pelagium lib. de Natur. & grat. ca. 19. & sequentibus. Et similis est comparatio de morte peccati, & vita animæ, quæ per iustificationem fit, quam facit August. in Enchirid. ca. 52. & sumit illam ex Paulo in epist. ad Rom. Dixerat enim in c. 4. de Christo. *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, ita gratia regnet per iustitiam, & c. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Vnde intelligamus (ait August.) *non aliud esse in Christo baptismum, nisi mortem Christi similitudinem, nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi mortem peccati similitudinem, ut quem admodum in illo vera mors facta est, ita in nobis vera remissio peccatorum, & quem admodum in illo vera resurrectio, ita & in nobis vera iustificatio: ergo sicut in Christo resurrectio expulit mortem, ita in nobis iustificatio peccatum.*

His ergo modis sufficienter probata relinquatur conclusio auctoritate tam Ecclesiæ, quam Scripturæ, & Patrum, & plura circa sequentem assertionem afferemus. Ratio autem sumenda est ex principiis positis in præcedentibus capitulis: nam illa forma, quæ hominem filium Dei constituit, & hæredem regni celestis necesse est, ut formaliter peccatum expellat; sed iustitia inherens constituit hominem filium Dei adoptivum, datque illius hæreditarium ad vitam æternam; ergo expellit etiam formaliter peccatum. Consequentia est optima, & minor in superioribus probata. Maior autem probatur, quia peccatum mortale facit hominem reum æternæ poenæ, & consequenter priuat illum iure regni celestis; ergo priuat etiam filiatione diuina. Nam sicut recte argumentatur Paulus, *Filius ergo hæres;* ita è contrario, licet à posteriori, recte infertur, si non hæres; ergo nec filius. Et similiter colligitur optime, si indignus regno, imo dignus carentia eius; ergo non filius: nam illa duo valde opposita sunt, & inter se repugnantia. Et

similes rationes sumi possunt ex effectu iustitiæ constituendi hominem Deo gratum, & amicum, & sanctum, quas in sequenti assertionem proponemus, & magis virgibimus, quamvis plena earum intelligentia, & efficacia pendeat ex his, quæ in capitulis sequentibus dicenda sunt, quæstiones de absoluta Dei potentia tractando.

Secundo dicendum est, iustitiam inherentem, & infusam non ex favore extrinseco, sed ex intrinseca sua vi, & natura, seu dignitate habere hunc effectum iustitiæ expellendi peccatum mortale, propter connaturalem repugnantiam, quam cum illo habet. Hanc assertionem satis aperte docet de forma gratiæ D. Th. pellere veritas in locis allegatis, præsertim 1. 2. q. 113. art. 1. 2. & 6. c. 1. & de charitate idem sentit 2. 2. q. 24. art. 10. & ex antiquis scholasticis illam præcipue docent Aureolus, & Capreolus supra, & indicat etiam Richardus; ex modernis citari potest Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. circa finem, & ex his ad propositum, quatenus dicit, esse in peccato, & esse in gratia oppositi, ut duo ex natura sua contraria, & idem habet lib. 2. de Natur. & grat. c. 18. Et licet utroque loco explicet, se non loqui de esse grato, ut est à qualitate gratiæ, sed ab abstracto, ut esse potest per se, lam extrinsecam dilectionem Dei: nihilominus indicat, qualitatem gratiæ, quæ nunc datur, naturam suam constituere hominem dilectum, ac proinde repugnare peccato ex natura sua. Clarior, & fufius id docent in locis supra citatis Ruard. Bellarminus, & Valentia, maxime vero P. Vazq. dicta q. 204. licet in sensu nimium rigoroso, ut capite præcedenti attigi, & insequentibus dicam.

Et sine dubio Concilium Tridentinum attente consideratum ita huic fauet sententiæ, ut iam sine Temeritate magna temeritate negari non posse videatur. Et in primis ponderanda sunt verba eius in sess. 5. capit. 5. postea sequentia. *Nam primum asserit, per gratiam, quam baptismus remittit peccati habet. Deinde infra subiungit. Vt veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti efficiuntur, hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu celi remoretur. Quæ omnia tribuit Concilium iustitiæ inherenti, tanquam formæ, nam ratione illius dicuntur iusti novum hominem induere, qui secundum Deum creatus est, sicut exposuit Paulus ad Ephes. 4. addendo, Qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Vnde David Psal. 50. orans, Cor mundum crea in me Deus, adiungit. Et spiritum rectum innova in visceribus meis: quis autem est spiritus rectus visceribus inditus nisi spiritus iustitiæ, & sanctitatis animæ inherens? Dicit autem Concilium, induendo hunc hominem novum exui veterem, & excludi ab homine quicquid esse potest obiectū diuini odij, & sic effici purum, & innocentem; ergo sentit hoc fieri ex vi illius internæ innovationis, quæ in homine fit. Et hunc sensum valde confirmat tota doctrina sessionis 6. ca. 7. cuius verba iam satis ponderauimus.*

Ratione possumus argumentari. Primo quia si iustitia inherens non conferret hunc effectum ex natura sua, non posset vere dici causa formalis eius, sed secunda ad summum dici posset, ex lege ac promissione Dei, ad præsentiam talis qualitatis in anima expelli à Deo argueretur peccatum, quod non est satis ad veram causalitatem formalem. Sicut, si Sol non haberet virtutem illuminandi effectiue, licet Deus ex lege ad præsentiam solis illuminaret, non posset vere dici sol causa efficiens luminis. Vnde philosophi, qui dixerunt, causas secundas non habere virtutem agendi ex natura sua, sed exemplum Deum ad præsentiam illarum agere consequenter dixerunt, causas secundas non esse veras causas efficientes, sed condiciones necessarias ex lege Dei, phoræ & solum imputatiue (ut sic dicam) putari causas, placentiam, quia ex pacto quodam tacito diuinæ providentiæ, Deus ad illarum præsentiam operatur: ita ergo qui dicunt,

dicunt gratiam non expellere peccatum natura sua, sed ex lege Dei, coguntur profecto dicere, non ipsam expellere formaliter peccatum, sed Deum ad presentiam eius. Neque potest quis fingere, quod, licet gratia natura sua non habeat vim expellendi peccatum, à Deo eleuetur, vt tanquam vera causa formalis illud expellat, est enim talis eleuatio incredibilis, cum quia non habet locum in genere causæ formalis, sic- uenque causalitas instrumentalis, vt ex Metaphysi- ca suppono: tum etiam quia circa effectum negati- uum, qualis est expulsio peccati, multo minus potest intelligi talis eleuatio, seu causalitas instrumenta- lis.

Possit autem aliquis contentiosus effugere, dicen- do, iustitiam inherentem non esse causam physicam formalem expulsionis peccati, nihilominus tamen esse causam formalem moralem: nam sicut in effici- entibus distinguuntur hæc duo causandi genera, ita distinguuntur sine inconuenienti in causa forma- li. Vt autem iustitia dicatur causa formalis expulsio- nis peccati, satis esse, quod ex pacto Dei ad informa- tionem talis formæ non minus infallibiliter sequa- tur expulsio peccati, quam ex informatione caloris sequi solet expulsio frigiditatis. Talem enim causandi modum aliqui tribuunt sacramentis in suo genere, & sufficere putant, vt causæ, & instrumenta gratiæ dicantur. Nihilominus tamen audierida non est, nec permittenda talis euasio, quia solo nomine sustinet causalitatem hanc formalem, te tamen veram illam è me- dio tollit, quia sine influxu aliquo non est vera causa- litas, tunc autem gratia inherens nullo modo influe- ret in expulsionem peccati, sed ad summum esset conditio necessaria ex voluntate Dei, & se haberet vt signum ad placitum mouens Deum ex vi solius pro- missionis eius ad remittendum peccatum, quod non est satis ad veram causalitatem, etiam moralem. Mul- tum ergo repugnat illa euasio proprietati, & veritati verborum Concilij Tridentini: & testimonio sum- pturæ, ex quibus Concilium suam doctrinam sumptit. Et simili modo dici posset, inherentem ius- titiam non esse formam physicam sanctificantem, & iustificantem, sed moralem ex pacto Dei, quod fal- sissimum est, parumque differt ab imputatiua iusti- tia, vt supra ostensum est.

Vnde adhibenda est secunda ratio sumpta ex effe- ctibus positius, ac primarijs inherentis iustitiæ, nam fere ex singulis collatis ad effectus peccati potest ratio efficax formari. Primo enim iustitia ratione gratiæ ex natura sua constituit hominem filium Dei per participationem, & consequenter hæredem re- gni: ergo etiam ex intrinseca sua natura habet expel- lere peccatum, quod facit hominem indignum re- gno, & à Deo alienum. Item illa gratia, præsertim vt includit etiam charitatem, natura sua habet consti- tuere vinculum amicitiae inter Deum, & hominem; peccatum vero dissoluit amicitiam, & constituit inimi- cum ex intrinseca sua natura: ergo talis forma ex na- tura sua repugnat peccato intrinsece & immediate. Præterea gratia inherens constituit in homine per- fectum iustitiæ ordinem, nam & voluntatem homi- nis perfecte subijcit Deo, vt vltimo supernaturali si- ni: & potentias conuenienter disponit ad opera ius- titiæ: peccatum autem ex natura sua euertit hunc ordinem, & auertit hominem à Deo: ergo est con- naturalis repugnantia inter hæc duo, quæ sufficit, vt gratia informando animam connaturaliter expellat peccatum, & hoc est excludere formaliter ex natura sua. Quod aliter explicatur: nā iustitia infusa natura sua est perfecta iustitia, & consequenter est forma, quæ constituit hominem simpliciter iustum: pecca- tum autem mortale constituit simpliciter iniustum: ergo ex natura rei habent inter se repugnantiam, ra- tione cuius talis iustitia culpam formaliter excludit. Tandem idem argumentum sumitur ex effectu san- ctificandi, & ex ratione sanctitatis: nam iustitia in-

fusa est sanctitas animæ, vt constat ex Concilio Tri- dentino citatis locis, & ex illo Luc. 1. *Vt seruamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso*, & similia sunt infini- ta loca Scripturæ, sed sanctitas formaliter secum ad- ducit mundiciam à peccato, nam illud est sanctum, quod est mundum, & immaculatum. Vnde Dionys. cap. 12. de Diuin. nominib. *Sanctitas, inquit, est abque labe intemerata puritas*, & Paulus Orosi. libr. de Liber. arbitr. circa finem. *Sanctitas, inquit, est viuere sine pec- cato*, & Augustinus concion. 1. & 2. in Psalm. 31. circa illa verba, *Pro hac orabit ad te omnis sanctus*, dicit, san- ctum appellari, cui sunt remissa peccata. Et ideo Pau- lus ad Ephes. 1. illa duo coniungit. *Vt effemus sancti, & immaculati*, & 1. ad Thessal. 4. opponit sanctitatem immunditiæ dicens. *Vocatis nos non in immundiciam, sed in sanctificationem*. Ergo sanctificatio formaliter ex- cludit immundiciam peccati: sanctificatio autem sit formaliter per gratiam, & est effectus connaturalis illius: ergo etiam est illi connaturaliter excludere for- maliter peccatum.

Dico tertio. Nihilominus per iustitiam inheren- tem, & informantem animam non expellitur pec- catum sine peculiari voluntate quali cooperatiua Dei ad remissionem peccati. Hæc assertio sequitur ex dictis capite præcedenti, diximus enim remissionem peccati passiuam, & prout habet in homine effectum priuatiuum peccati, esse mutationem aliquo modo distinctam à receptione gratiæ, & effectum positiuo eius. Hinc ergo sic argumentamur: Omnis mutatio facta in homine, cuiuscunque generis sit, non fit sine immediato influxu Dei actiuo aliquo modo propor- tionato effectui, quia omnis mutatio creaturæ pen- det à Deo, vt à prima causa immediate: ergo etiam illa mutatio, quæ fit in homine per exclusionem pec- cati est immediate à Deo, & per specialem influxum, seu causalitatem proportionatam. Nec dici potest sufficere influxum physicum, quo infundit gratiam, & voluntatem, quæ illum vult: quia ostensum est, ex- pulsionem peccati addere mutationem aliquo mo- do distinctam, respectu cuius ille influxus gratiæ est quasi remotus: ergo est necessarius immediatus in- fluxus in talem mutationem, & consequenter etiam specialis voluntas proportionata.

Secundo declaratur, & probatur assertio, quia ef- fectum aliquem, qui est formaliter, & connaturali- ter à forma creata, pendere simul ab immediata vo- luntate, & cooperatione Dei, non solum non repu- gnat, verum etiam est necessarium, & in omni effe- ctui formali cum proportionem inuenitur: ergo neque in hoc effectu destructionis peccati repugnat, sed po- tius omnino est cum proportionem seruandum. An- tecedens probatur generali ratione, quia effectus for- malis formæ create est aliquid creatum, & conse- quenter pendet immediate ex voluntate, & influxu Dei. Inductione item declaratur, quia si effectus est positius, ac realis, pendet in fieri, & conseruari à Deo vt esse calidum, quod est à calore formaliter, est à Deo effectiue per se, & immediate, & modus ipse inhæ- rentiæ, vel informationis, qui est causalitas formæ, pendet essentialiter, & immediate à Deo, & ab spe- ciali voluntate eius: si vero effectus sit priuatiuus, pendet à Deo cum proportionem saltem, vt suspenden- te concursum, vt quando ad ingressum caloris in a- quam expellitur frigus necesse est, vt Deus conse- quenter velit suspendere influxum, quo frigus con- seruabatur, nam si ipse nollet suspendere, non expel- leretur, quia nulla causa est potens contra volunta- tem eius. Vnde simili modo, si effectus formæ est pri- marius, pendet per se primo ex cooperatione Dei im- mediate, ac per se debita connaturaliter tali formæ. Si vero effectus est secundarius, pendet quidem ex nouo influxu proportionato (sub influxu suspensio- nem eius comprehendendo) & consequenter ex spe- ciali voluntate Dei, licet connexa cum voluntate pri- marij effectus, & consequente ad illam, sicut decla-

raui in effectu secundario priuatio expellendi formam contrariam. Positiui autem effectus formales secundarij, & in ipsa distincti à primario non inueniuntur sine resultantia quasi effectiua vnius effectus ex alio, sicut passio resultat ex essentia, vel relatio ex fundamento (si ab illo in re distinguitur) & tunc & ipsamet resultantia, & effectus resultans pendet ab speciali, & immediata cooperatione Dei propter generalem dependentiam à prima causa.

14. *Secundum fundamentum pergit.* Prima vero consequentia totius argumenti, & quod hæc doctrina sit cū proportionem obseruanda in hoc effectu excludendi peccatum, probatur, quia est effectus secundarius iustitiæ inherens: nam est distinctus à primario, vt in capite præcedenti ostensum est, & est consequens illum connaturaliter, vt proxime diximus, & est talis effectus, qui in nobis vere fit, vt c. 11. ostensum est: ergo per se, & immediate pendet ex aliquo influxu Dei, quamuis debito tali formæ ex vi primarij effectus, quia est ad aliquid naturaliter consequens ad illam, sicut calori debetur suspensio influxus, quo frigus conseruabatur. Imo in hoc effectu remissionis peccati interuenit noua, & specialissima ratio dependentiæ à Deo, quia ille fuit per peccatum singulariter offensus, & ideo ab illo maxime pendet peccati remissio, sine qua non potest peccatum excludi, vt in capite sequenti latius dicemus. Hic autem influxus Dei esse debet proportionatus effectui. Nam quia destructio peccati præcisè sumpta non est positiua mutatio, sed expulsiua, ideo ad illam non requiritur specialis influxus Dei per modum cōcursus realis, & positiui. Deinde peccatum habituale, seu, esse in peccato, prout addit aliquid ultra priuationem gratiæ, seu iustitiæ inherens, non est esse physicum, sed morale per relationem ad actum præcedentem, & ideo vt expellatur, non est necessaria suspensio alicuius diuini concursus, seu influxus physici, quo peccatum conseruaretur, quia habituale peccatum, maxime quoad formale eius, non conseruatur à Deo. Igitur ille concursus Dei solum per modum moralis actionis, & remissionis intelligendus est, consistitque ex parte Dei in sola voluntate destruendi peccatum in homine, ex qua moralis mutatio in homine resultat, per quam ab illo expellitur peccatum. Neque inde fit, hunc esse fauorem extrinsecum Dei, quia licet, vt est actus voluntatis Dei, sit extrinsecus, tamen immediatus effectus eius est in homine, vt supra declarauimus. Et ille actus voluntatis Dei est ex natura rei connexus cum voluntate infundendi iustitiæ, & debitus connaturaliter eidem iustitiæ, & ideo non reputatur nouus fauor extrinsecus, sed tanquā idem cum voluntate infundendi iustitiæ. Et ita omnia & inter se, & cum doctrinis Patrum, & Conciliorum optime consonant.

15. *Respondetur ad fundamenta opposita opinionis ad Concilium Tridentinum.* Ad argumenta contrariæ sententiæ facilis est responsio. Ad verba enim ex Concilio Tridentino induta in primis dicimus, esto in illis non declaretur hæc causalitas inherens iustitiæ, tamen per illa non excludi, & per alia sufficere indicari. Deinde, licet remissio peccati sit effectus formalis inherens iustitiæ, est tamen secundarius, & distinctus aliquo modo à primario, & ideo recte dictum est, cum vno effectu darialium, vel cum infusione iustitiæ dari remissionem peccati, quibus verbis insinuat, est distinctio, vt supra notauimus, & specialiter posita fuerunt contra hæreticos dicentes, iustificationem in sola remissione peccatorum consistere, & ideo optime dictum est, cum illa infundi dona. Ad secundum respondetur, peccatum quidem non dicere formam realem positiuam gratiæ contrariam, nihilominus tamen vltra priuationem physicam gratiæ addere moralem deformitatem, iniuriam, & auersionem à Deo permanentem in homine, quandiu gratia caret, quia licet gratia physice, & immediate opponatur ipsius priuationi, tamen consequenter, & secundario opponitur deformitati peccati, quia sicut actus peccati habet defor-

mitatem moralem annexam, ita etiam iustitia infusa habet ex natura sua simul cum effectu physico aliquos effectus morales, ratione quorum opponitur statui peccati, etiam secundum moralem rationem eius. Vnde fit, vt licet iustitia infusa, & inherens immediate expellat physicam priuationem gratiæ, consequenter etiam expellat formaliter totum id, quod propriam rationem peccati habet.

Et ita responsū est ad tertiam rationem: nam licet esse physicum, & morale sint diuersæ rationis, & ordinis, nihilominus saepe sunt inter se connexa vinculo etiam connaturali, & inde fieri potest, vt forma physica habeat ex natura sua repugnantiam cum aliquo esse, seu defectu morali. Et inde facilius etiam est responsio ad quartum, in quo postulatur, quomodo peccatum gratiam, vel charitatem corrumpat, quod solet tractari præcipue de peccato actuali, non pertinet tamen ad præsentem locum, sed in libro 11. disputandum est. Nunc autem sermo est de peccato habituali, sed quod permanet transacto actuali, & de illo dicimus ex natura sua repugnare formaliter inherenti iustitiæ, quatenus auertit hominem à Deo, ad quem conuertit iustitia. Est tamen diuersitas, nam iustitia primario confert formaliter physicam conuersionem, consequenter vero etiam moralem. Peccatum vero formaliter, ac per se primo consistit in auersione morali, consequenter vero, & quasi materialiter etiam physicam auersionem includit. Ethoc satis est, vt peccatum, & gratia se se inuicem formaliter excludant, licet diuerso ordine, vt sic dicam, nam peccatum inducendo auersionem moralem, consequenter inducit priuationem physicam gratiæ, iustificatio vero è conuersio inducendo physicam conuersionem, & perfectionem iustitiæ, consequenter excludit etiam moralem auersionem peccati. An vero hæc conuersio tam necessaria sit, vt de potentia absoluta possit vnus effectus ab alio separari, infra est disputandum.

CAPVT XIII.

Vtrum actus inherens iustitiæ, saltem perfecta dilectionis Dei, vel contritionis ex natura sua formaliter excludat peccatum sine alia remissione Dei.

EX dictis in præcedentibus capitulis facile colligi potest, formam inherentem, ac formaliter excludentem peccatum esse habitualem iustitiæ in-
fusam, tamen quia de actuali est hoc tempore specialis controuersia, illā prius expediemus, vt ita melius concludamus vnicam formam, etiam quoad effectū expellendi peccatum, esse habitualem iustitiæ, & per se solum ad id sufficere. Circa actum vero iustitiæ infuse duplex occurrit questio, vna est, an sit alius actus gratiæ ita perfectus, vt sola sua vi, aut physica informatione sine alia remissione Dei expellat peccatum? alia est, an huiusmodi actus saltem sit talis forma, quæ connaturaliter expellat peccatum, interueniente remissione Dei sibi debita, seu connaturaliter adiuncta? Hanc posteriorem questionem tractabimus in capite sequenti, in hoc priorem disputandam proposuimus, quia licet ex parte sit iam definita, & in c. 10. 3. partis disp. 4. ex professo eam tractauerim, nihilominus ad complementum huius materiæ, & ad respondendum nouis obiectionibus, magisque veritatem confirmandam, necessaria visa est. Aduerto autem, quæstionem hanc diuersam esse ab illa, quam c. 8. & 9. tractauimus, quia licet supponamus, solum actum charitatis non conferre animæ formaliter illam internam renouationem, quæ ad iustificationem simpliciter necessaria est, adhuc potest esse questio, an saltem conferat eam rectitudinem, quæ ad expellendum peccatum forma.